

Bibliothèque numérique

medic@

Riolan, Jean - candidat / Marand,
Jacques - président. - An ortus &
interitus hominis contrariae causae ?

1573.

[Paris]

Cote : ms 72 n°87

QVAESTIO MEDICA.

Quodlibetarijs disputationibus agitanda in *Schola* medicorum die Iouis 8. Ianuarij, 1573.

DOCTISSIMO VIRO D. IACOBO MARANTO DOCTORE MEDICO,

moderatore praeceptissimo.

An ortus & interitus hominis contrariae causae?

Cum effectuum contrariorum causas oporteat esse contrarias, voluerit autem natura Deus sublimaria omnia oriri & interire, calorem generationis & corruptionis auctori, motus indidit contrarios: quibus exortari vitalis ille & moderatore sua beneficius calor, quem non absurde Stoici continen-
tem causam appellarunt, quoties novum huc defuit, atque per elementarem mundum effusus, primas qualitates ubique locorum immixtus miscet: unde cetera, ipsaeque adeo mixtorum formae cōsurgunt, excepta humana, cuius supracolestis proindeque immortalis essentia, duobus submixta veliculis, uno aetherio & sempiterno quod accipit ab opifice, altero aërio & longevo, quod ipsa sibi aptat, cum primum sit citius generationis, ut sit mortalis & immortalis naturae vinculum, in terrenum hoc & caducum habitaculum ad universi ordinem & perfectionem includitur.

Homo, cui creata sunt omnia, immortalitatis studio generat sibi simile, ministerio masculi, ne potentia quidem animati, seminis, undique sed è cerebro potissimum in testes influentis, quorum proprietate formatum, cum voluptate excreatur, excreta si secundum uterum conceperit, ex mensura sanguine octavo etiamnum & undecimo mense, corpus alterutri parentum, sed rarius quam in belluis, simile dearticulat: quo perfectio quasi exsoluto naturae penso, diffaret, cumque ipso spiritu simul evanescat, sua forma longe meliori, quippe animae, permutata.

Vitae animae tres primas facultates, non (ut quidam putant) vegetantem, sentientem, ratiocinantem: multo minus concupiscentem, irascentem, intelligentem, sed naturalem potius vitalem & animalem, principio & essentia unitas, scilicet ita dissiluit opifex, ut naturam in hepate, vitam in corde, animam in cerebro collocavit, unde partes omnes etiam sine spiritum mouet: illic sentit, non in sensorio: eadem parte meminit, imaginatur, cogitat: natura interim alimentum ad vitam necessarium (sanguinem dico) in hepatis officina preparante, quem mox in venis quoque perficiat: è quibus vel exulanti, vel stillanti, in singulas partes aequabili proportionem manat, & earum ipsa facultate ad naturae similitudinem traducitur, quod vero reliquiarum est foras ablegatur, colliguntque melius quam crudum excreantur.

Naturalis calor plane elementaris, neque alius ab eo qui est temperamenti, humore primigenio subsistit, utque mediocritate servatur: sic insensone & remissione corrumpitur: insensetur, si quando ventilationis, expirationis, vel perspirationis beneficium prohibetur. Ventilatur, aëre frigido, motu voluntatis inspirato inspiratur aër (gravis motum morborum auctor, idemque & utilior cibo & nocentior) pulmone ad thoracis motum dilatato, expiratur, eodem natura non voluntate coepressa, perspirat vero sanguine per insensiles cutis meatus excreta, quam arteria dilatata à corde excipiunt, contractae ad cutem amittunt.

Cum calor ab agendo nunquam ferietur, finite autem sit virtutis & repatiatur, natura necessitate sensum languet, & operam remittit, quo fit ut in locum vitalis humoris assidue fluentis neque aequalem neque similem sufficere possit, sed diluam & aequam pro illa aërio & oleoso substituat, à quo tandem is, cum animal natura necessitate moritur, suffocatus extinguitur. Quod si in humoris primigenij vicem, alterum ars aequè idoneum reponeret (quam scientiam impudenter sibi arrogant nescio qui seplasiarj) vitam fortassis in aliquot annos liceret producere, perpetuam sperare non liceret. Cum ergo eadem causa contrario modo affecta rationem habeat causa contraria, moderatus autem calor sit auctor, atque dux vitae, immoderatus, siue exuperans, siue deficiens, causam mortis afferat, hand dubie.

Ortus & interitus hominis causae sunt contrariae:

De his respondebit Ioannes Riolanus Ambianus-

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. IO. LE PRECHERE
M. GUILLELMUS DE LA BARRE.
M. IO. DV VERNEUIL.

M. LUDOVICVS THIAUVET.
M. SIMON DE MATAVEY. Professor Regius.
M. IO. DESNEUX.

M. ANTONIVS PRVNIER.
M. IO. ROCHE.
M. IAC. CARPENTARIUS. Professor Regius.